

in Misna —, committens egregio honorabili et provido viris dominis doctori Johanni de Deher archidiacono Lusaciae, Baltasar de Deher ecclesiae Misnensis perpetuo vicario ac Valentino proconsuli civitatis Misnensis suis testamentariis et ultimae voluntatis suae executoribus prius per eum ut asseruit coram legali notario et fideli constitutis, quatenus praefatam vineam ad ecclesiam sanctae Affrae praedictam eius nomine darent et assignarent in suae salutis consolamen ac animae suae pium et salutiferum relevamen — praesentibus testibus dominis Johanne Yleburgk fratre canonicorum regularium ad sanctam Affram, Andrea Polen de Czossen capellano domini doctoris antedicti et Nicolao famulo refectorii monasterii sanctae Affrae praelibati.

Item anno, indictione et pontificatu, quibus supra, die vero vicesima secunda mensis Junii hora vespertina vel quasi, in orto dominorum canonicorum regularium monasterii sanctae Affrae personaliter constituti dicti domini testamentarii ex una et venerabilis vir dominus Johannes Grusewicz praepositus monasterii sanctae Affrae, nomine eiusdem suae ecclesiae parte ex altera, iidem domini testamentarii vice et nomine dicti Nicolai Seuselicz felicitis memoriae, pro tunc iam noviter defuncti, volentes huiusmodi testamenti et ultimae voluntatis executioni, ut de iure tenerentur, satisfacere, per medium praedicti domini doctoris et mitrae suae traditionem ipso domino Johanni Grusewicz praeposito ratione suae ecclesiae praelibatae, quantum in eis fuit, dederunt et assignarunt suprascriptam vineam cum omnibus suis iuribus honoribus et oneribus, sic quod ipsa ecclesia sanctae Affrae cum provisoribus ecclesiae beatae Mariae virginis et monasterii fratrum minorum in Misna, quibus etiam legatum est, debita probabilia, si qua essent per praefatum Nicolaum Seuselicz defunctum derelicta, debeat pro qua duntaxat porcione exsolvere, si saltem non sint alia bona, quibus debita huiusmodi valerent exsolvi et expediri —, praesentibus venerabili et provido viris dominis Donato gwardiano fratrum minorum in Misna et Johanne Steynbach concive ibidem. Acta sunt haec in civitate Misnensi etc.

Et ego Johannes Meckeren de Turgaw clericus coniugatus Misnensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius etc.

Nach dem Chartul. monast. s. A frae II. fol. 106.

No. 271. 1440. 3. Nov.

Der Probst Joh. von Gruschwitz und der Convent nehmen den Domvicar Joh. Ileburg aus Dankbarkeit für die ihnen nach den Einfällen der Hussiten gewährten Unterstützungen in ihre Brüderschaft auf und bestimmen, dass auch sein Jahresgedächtniss begangen werde.

Johannes de Gruschewicz praepositus et Johannes Kütteler prior totusque conventus monasterii sanctae Affrae canonicorum regularium in Misna ordinis sancti Augustini praesentium publice recognoscimus pro nobis ac monasterio et successoribus nostris tenore litterarum universis, quod consideratis pio zelo et sincerae devotionis affectu, quibus quondam commendabilis vir in Christo dominus Johannes Ileburgk, vicarius perpetuus vicariae quae oculus decani nuncupatur ecclesiae Misnensis, erga nostrum monasterium et conventum accensus perpensis pluribus dispendiis et gravaminibus aliquot annis iam post incursus hostiles haereticorum multipliciter in bonis nostris perpensis, plurima munificentia et liberalitate in vita et in morte se nobis impendit, eundem fraternitatis nostrae ac omnium bonorum nostrorum operum ac successorum et conventus nostri fecimus perpetuis temporibus participem; instituentes etiam pro nobis et successoribus nostris ut praefertur perpetuum anniversarium eiusdem domini Johannis Ileburgk cum vigilia et missis ac solempnitate alias